



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Cap. XXXI. Quæ consideranda sint super punctis meditationum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

tionis, ita vt nunquam, sine huiusmodi colloquio, à meditationis loco recedatur; quamuis in ipso quoque meditationis decursu, post vnumquodque punctum aut considerationem, animâ ad desiderium alicuius rei inflammata, fieri possit. Nec obstat, quin parua meditationibus colloquia interijci possint, tum ad continuandam facilius attentionem tum ad distractiones repellendas: dico parua, quia si longiora sunt, meditationem impediunt: quamuis si Spiritu Sanctu dictante fiant, non possint non esse bona: atque idcirco nonnullos totum tempus orationis & meditationis, instar colloquij transigere cernimus.

*QVAE CONSIDERANDA
sint super punctis meditationum.*

C A P. XXXI.

ABSOLVTIS ijs quæ oratione & meditationem præcedunt & comitantur: nunc paucis annotabimus, quæ super singulis punctis consideranda sint: nam hic plurimi hærent

hærent, ignorantes quid meditando cogitare debeant. Vt igitur illis prospiciamus, materiamque & methodum meditationem continuandi, & in illa progressum aliquem faciendi tradamus, subiungemus, hoc loco considerationes aliquot, quæ in omni re, qualiscunque illa sit, ad usum adhiberi possint.

NOTANDVM igitur materiam meditationis vel esse corpoream, vel spiritualem. Si corporea est, vti sunt omnia mysteria virgæ Christi, super vnoquoque puncto considerari possunt hæc circumstantiæ.

1. Personæ mysterio præsentēs, quales sunt, Christus Saluator, Beatissima Virgo, Angelus Gabriel, Apostoli: illorumque qualitates, virtutes, excellentiæ & officia.

2. Quos inter se sermones miscuerint, vel si verba illorum scriptis consignata non extent, quos probabiliter miscere potuerint.

3. Quid egerint.

4. Quem in finem, & quam ob causam id fecerint.

K 3

5. Quid

5. Quæ inde effecta, aut utilitates
prouenerint.

6. Possunt quoque expendi cogita-
tiones & affectiones, quas eedē per-
sonæ habuerunt, aut habere potue-
runt. Si materia est Spiritualis, hæc
sunt consideranda.

1. Quid sit res illa, quæ puncto con-
tinetur.

2. Quæ ipsius origo & causa effi-
ciens.

3. Quem in finem facta fuerit.

4. Quas utilitates & detrimenta ad-
ferat.

5. Quid Christus de illa dixerit, vel
fecerit.

6. Quomodo hactenus circa illam
me habuerim.

7. Quid mihi deinceps faciendum
sit.

8. Bonum quoque est considerare
nomen, vel diuersa nomina eiusdem
rei.

9. Et sententiam aliquam sacrę scri-
pturæ ad eam pertinentem.

Vides quam abundans materia
meditationi continuandæ suppetat;
modo

modò puncta hæc memoriæ commendentur, & ad vsum conuertantur.

Notandum nihilominus, non semper omnes hæc cōsiderationes adhibendas, neque eundem ordinem seruandum esse, sed ei cōsiderationi diutius inhærendum, in qua anima copiosius inuenit nutrimentum.

DE COMPOSITIONE CORPORIS.

CAP. XXXII.

EST & aliud quiddam hic sciendum & explicandum, videlicet compositio corporis, circa quam hæc potissimum notanda veniunt.

1. Parum referre, quo corporis situ, in oratione & meditatione quis sit, siue sedēs, siue iacēs, siue genubus flexis, siue innixus, siue prostratus, siue manibus instar crucis plicatis; sola ambulatio meditationi hand quaquam conuenit, sed potius præparationi eam antecedenti, vel examinationi eam consequenti.